

# EPISTULA LEONINA

## CCXXXIII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXXII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM TRICESIMAM TERTIAM (233) !**

## ARGUMENTA

<b>1 PRAEFATIUNCULA.....</b>	02-03
<b>2 PATRIA CARA CARIOR LIBERTAS VERITAS CARISSIMA ( Lieber).....</b>	04
<b>3 IO TRIUMPHE ADHUC VIVIMUS (Köppel/ LL).....</b>	05-09
<b>4 DE PETASO GESSLERIANO SCHILLERIANO.....</b>	10
<b>5 DE PETASO GESSLERI MERKELIANA.....</b>	11
<b>6 EN MASCAM CORONARIAM ESSE PETASUM GESSLERIANUM (Reitschuster).....</b>	12-14
<b>7 COLLOQUIUM CLAUDIAE ET THOMAE MASCARIUM.....</b>	15
<b>8 CHRONOGRAMMA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIANI.....</b>	16
<b>9 CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM (Demming).....</b>	17
<b>10 DE MERKELIANA EXCUSATIUNCULA.....</b>	18-21
<b>11 MARCUS PHILARCHUS FRANCO.....</b>	22-23
<b>12 CAROLA CALLIODON CASSANDRA CORONARIA.....</b>	24-27
<b>13 GUNNAR KAISER.....</b>	28
<b>14 ECHUS VOCES EPISTULAE (Dreier, LL).....</b>	29-32
<b>15 CORRIGENDA ET SUPPLENDIA.....</b>	33
<b>16 ECCE LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	34-37.

## PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae. Hôc quoque in opusculo Leo habet vehementer varia: Ergo lege symbolas Leoninas: miraberis!*

*Varietatem autem rerum in Epistulis nostris Leoninis tractatarum – ut hoc iam commemorem in initio – quidam lector nomine **Ioachimus** (Jochen) **Dreier** sitienter desiderans nobis scripsit epistulam aculeatam (p.29): *Idem enim queritur nos ex hôc anno ineunte semper eandem paleam triturare, nos semper unam opinionem repetere et periculum subire, ne eum statum antidemocraticum creemus, quem vitare velimus. Quid tibi videtur de hac opinione Ioachimi? Scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit. Evidem huic critico respondi satis prolixê* (p.30-32); tu autem lege et iudica ipse.*

*Hesterno autem vespere audivi et spectavi acroasis Latinam doctissimam maximêque delectabilem. Quâ docuerunt nos Academiae Latinitati Fovendae sodales **Iohannes Carolus***

*Rossi et Claudius Piva de Friderico Borromaeo eiusque opere, c.t. De tractione colossicarum columnarum. Qui sodales multas res technicas aetatis antiquae et renascentiae litterarum peritissimē explicaverunt adhibitis imaginibus dilucidissimis. Valdē placent mihi menstruae emissiones interretiales Academiae systemate ZOOM effectas; utinam feliciter continuentur! Proximam acroasin faciet Milena Minkova Centucciensis.*

*De argumentis huius Epistulae brevissimē tantum dicam: reverā denuo insunt chronogrammata, denuo quoque multa coronaria; tamen ratione, quā hae res praebentur, reverā mihi quidem videatur effici satis multum varietatis. Insunt etiam **dramatiolum mascarium** in Conventu Foederali actum (p.15) necnon quaedam satirica (p.22-27). Ceterum novissime **Gunnarum Kaiser** poetam et philosophum et magistrum scholarem? Iuvat eum cognoscere! (p.28)*

*Haec hactenus de argumentis. Tu autem tolle et lege et fruere Latinitate vivā!*

**Medullitus Te salutat**

**Dr. Nicolaus Groß  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicā, 28. m.Mart. a.2021**



*Franz Lieber.*

**FRANZ (FRANCIS) LIEBER**  
**(1800-1872)**

# **PATRIA CARA CARIOR LIBERTAS VERITAS CARISSIMA**

„Sehr schön erscheint im neunten Kapitel eine kurz gefaßte Geschichte des Staatsrechts von Machiavelli und Luther bis herab zu der Epoche der Julirevolution, aus dem Schatze umfassender Belesenheit ausgestattet, voll treffender Bemerkungen, z. B. über den relativen Werth geschriebener und ungeschriebener Verfassungen. Dann werden, ein Spiegel für Amerikaner und Nicht-Amerikaner, die Einwirkungen des Sittengesetzes auf das sociale und politische Dasein, Gerechtigkeit, Tapferkeit, Ehrlichkeit, Freundschaft, Dankbarkeit, Enthaltsamkeit, Loyalität, Vaterlandsliebe, in kräftigen Strichen und lebensvollen Bildern erörtert. **Mit dem Lieblingsspruch vor Augen:** „*Patria cara, carior libertas, veritas carissima*“ ruft er aus: „Wenn wir in unserem Geburtslande keine Freiheit haben und nicht mitwirken können, sie daselbst aufzurichten, wenn wir bedrückt werden, so sind wir wahrlich nicht zu bleiben verpflichtet, wie schmerzlich auch die Trennung sein, mit wie viel Heimweh auch das Herz zurückverlangen mag“. Reinholt Pauli.

FONS: Artikel „Lieber, Franz“ von Reinhold Pauli in: *Allgemeine Deutsche Biographie*, herausgegeben von der Historischen Kommission bei der Bayerischen Akademie der Wissenschaften, Band 18 (1883), S. 566–576, Digitale Volltext-Ausgabe in [Wikisource](#), URL: [https://de.wikisource.org/w/index.php?title=ADB:Lieber,\\_Francis&oldid=-](https://de.wikisource.org/w/index.php?title=ADB:Lieber,_Francis&oldid=-) (Version vom 25. März 2021, 12:41 Uhr UTC)

# IO TRIUMPHE ADHUC VIVIMUS



**ECCE ROGER KÖPPEL**  
**VIR BONUS DICENDI PERITUS**  
**HELVETIAE ET DECUS ET PRAESIDIUM**  
**VERITATIS ET LIBERTATIS DEFENSOR**  
**HILARIS ELOQUENS INCORRUPTUS INTREPIDUS**  
**TALES VIROS UTINAM HABEREMUS PLURES!**<sup>1</sup>

**d.17. m.Mart. a.2021 Roger Köppel in: „DIE WELTWOCHEN“<sup>2</sup>**

Peste Iuliano (541–542) mortuae sunt 55% (quinquagenae quinae partes centesimae) omnium hominum Europae, Africæ septentrionalis, Orientis Propinqui.

<sup>1</sup> cfr Christian Daum, Epistolæ latinae ad Johannem Fridericum Hekelium scriptae, Lipsiae et Dresdae 1697, p.6, IV.: “Utinam haberemus tales plures Nobiles in Aulis! Forte an Respublica literaria ruinam adhuc minitans se esset erectura, & neutiquam casura.” ---- -

<sup>2</sup> <https://www.weltwoche.ch/ausgaben/2021-11/diese-woche/hurra-wir-leben-noch-die-weltwoche-ausgabe-11-2021.html>

Cum Mors Nigra annis 1347–1351 saeviret in Europâ 39% (undequadragenae partes centesimae) hominum mortui sunt.

Variolis a.1520 importatis in Americâ boreali et australi usque hodie 93% (nonagenae ternaes partes centesimae) indigenarum sunt extirpatae.

Influentiâ Hispanicâ, quae propriê illata erat e Civitatibus Unitis, inter annos 1918 und 1919 prostratae sunt 2,4% (duae – virgula – quattuor partes centesimae) hominum totius Orbis Terrarum.

Ex anno 1980 0,7% (zero – virgula – septem partes centesimae) ubique terrarum mortuae sunt morbo sidae, id est morbo immunitatis deficientis.

Secundum ephemeridem britannicam, c.t. *Financial Times*, 0,03% (zero – virgula – zero – tres partes centesimae) incolarum terrestrium effectu morbi covidiani sunt mortui, i.e. tres partes decies millesimae. 99,97% (nonaginta novem – virgula – novem septem partes centesimae) supervivunt.

Babae, vix vivi evasimus. Io triumphhe, adhuc vivimus!

Id autem est tragicum, quod homines politici reverâ hoc credunt. Qui credunt te hanc symbolam non legere posse nisi sui ipsorum merito.

Qui politici reverâ credunt se nos omnes servavisse, se prohibuisse, ne sanitas publica interiret, ne Helvetia emoreretur.

**Meâ quidem sententiâ ista, quae politici morbi coronarii causâ effecerunt, sunt scelestâ necnon, si rationem respicis commodi et damni, stultissima et periculosissima omnium, quae in historiâ generis humani umquam sunt facta<sup>1</sup>.**

Vîrus periculosum esse potest hominibus, qui aetate sunt proiecti aliisque iam morbis affecti, sed nullo modo probantur actiones gubernantium perturbatae atque immoderatae.

---

<sup>1</sup> orig. “Für mich ist die Corona-Politik ein Verbrechen, der gefährlichste Verhältnisblödsinn in der Geschichte der Menschheit.“ <https://www.weltwoche.ch/ausgaben/2021-11/diese-woche/hurra-wir-leben-noch-die-weltwoche-ausgabe-11-2021.html>

Oeconomia tabescit. Miliones hominum sunt disoccupati. Parvuli stultescunt<sup>1</sup>. Augentur suicidia, violentia, abusus drogarum.

Opio adiumenta socialia exaugendi aliquot millones hominum rei publicae obnoxii fiunt. Etiam etiamque plures negotiationes obnoxiae sunt subventioni publicae tamquam drogæ drogomanici. Moriuntur libertas et responsalitas sui ipsius.

Nuper collocutus sum cum chirurgo. Qui sentit gubernationes, etiam consilium foederale, esse in ius vocandas, iudicandum esse a iudicibus internationalibus.

Ne in maximē quidem horribilibus medii aevi pestibus homines sani inclusi sunt, ut protegerentur homines potentialiter aegroti.

Si mascae prosunt, cur includimur quarantenâ? Si mascam gero et masca protegit, quid me molestat, quod alter non gerit mascam?

*Corine Mauch*, praesidentissa urbana Turicensis, mascam coronariam appellat remedium educatorium. Quâ mascâ cives moneri morbum covidianum esse periculosum.

Istac sententiolâ omnia iam exprimuntur. Nos esse partem statalis programmatis educandi et reeducandi. Probatur facultas nostra libertatem deserendi.

Mascis autem homines privantur humanitate. Privantur faciebus. Mascae sunt cami sive fiscellae. Quibus indutis cives fiunt subditi.

Unica spes quae restat est fortasse nostrae gubernationis imperitia inefficax. Quantum nocuisse administratione suâ consilium foederale, si verê efficax fuisset.

E peioribus eo tantum evasimus, quod Helvetia ratione decentrali constituta ad locos supremos potius solet delegare politicos ad ducendum minus aptos.

---

<sup>1</sup> \*stultēscō, stultēscere: cfr Hand-Dieter Hoffmann, Gulielmus Gnapheus (= Willem van de Voldersgraft = Guilielmus Fullonius) Morosophus – Ein törichter Weiser (a.1541). Von der wahren und der scheinbaren Weisheit. Frankfurt a.M. (Peter Lang) 2010, p.15: „...stultescere und veresapere – lateinische Wortneuschöpfungen...“ cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Wilhelm\\_Gnapheus](https://de.wikipedia.org/wiki/Wilhelm_Gnapheus).

Ex alterâ parte: Gubernatio apta et habilis ausa esset resistere instinctui gregali ubique terrarum valenti. Talis gubernatio vîro covidiano non sacrificasset Helvetiam.

Scilicet Helvetiam adhuc exstare. At destruitur talis Helvetia, qualem novimus: eius enim libertas, responsalitas sui ipsius, status rei publicae atque gubernatio, quae a nimiâ potestate abstinet.

Infirmiores autem quam politici nemo est nisi diurnarii. „Septimana mundana“ (*Weltwoche*) iam ex initio restitit isti inclinationi fatali; sed fuimus nimis moderati.

Malum autem progreditur. Nunc consilium foederale vult omnes Helvetios probare probatiunculis coronariis tamquam magnum gregem boum. Qui probatus evaserit positivus, includetur, etiamsi sanus erit.

Furorem probandi sequitur hysteria vaccinandi, quod est experimentum ab hominibus subeundum historiae omnium maximum. Speremus vaccina esse tam salubria quam esse ab omnibus ferê dicuntur.

Equidem vaccinationes non generaliter reprobo. Admiror investigatores, sed quaero, num spatio temporis tam brevi reverâ omnibus quaestionibus difficilibus sit responsum. Dubitationes percrebrescant.

Interim magistratûs gubernant nos usque in medios sucos nostros corporales. Omnem hominem intellego, qui istud reprobet causis aut politicis aut religiosis aut medicinalibus.

Vîrus coronae plerisque non est periculosum. Vaccinatio massalis non est necessaria. Politici sine necessitate populum exponunt periculis. Pharmaceuticae autem negotiations lucrantur miliardas.

Iam nolunt iura civilia concedere nisi civibus vaccinatis. Ut nemini liceat participem fieri vitae publicae nisi venam praebenti, ut vaccinum iniciatur.

Bernae in capite Helvetiae politici mente sunt capti. *Alanus Berset* eiusque Officium „Formidinis“ (BAG) postulant, ut masca etiam geratur a vaccinatis.

Scilicet fieri posse ut foris quoquo loco restet aliqui homo vîro infectus. Bersetiana vîri covidiani impatientiâ perfectâ perficitur somnium sinistrorum omnipotentiae statalis.

Numquam magis valuit omnes politicos civiles omnes dextros et omnes conservativos et omnes verê liberales inter se coadunatos resistere.


Qui oportet omnes coadunati resistant furori gubernationis expeditionem crucigeram facienti contra vîrus, quo infecti supervivant 99,97% (nonaginta novem – virgula – novem septem partes centesimae) hominum.

Qui credit fore, ut domus sua corruat, quia tecto insit rimula, mente est perturbatâ. Iam pridem necessarium est, ut desinamus considerare vîrus covidianum mente perturbatâ. **Roger Köppel.**



**HANC SYMBOLAM QUAM SCRIPSIT  
ROGER KÖPPEL  
INGENIOSUS HELVETIUS DIURNARIUS  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**

# DE PETASO GESSLERI SCHILLERIANO



Wilhelmus Tell recusat, ne salutet petasum Gesslerianum.  
Chalybographia, quam confecit Christian Hoffmeister (1818–1871)

<https://de.wikipedia.org/wiki/Gesslerhut>

**Petasus Gesslerianus** solet dici actio aliqua, quae a magistratu publico nullo fine praescribitur nisi eo, ut cives se gerant more subditorum. Fabula fert *Hermannum Geßlerum* praefectum Habsburgicum in cantonibus Helvetiae, quae appellantur *Schwyz* et *Uri*, tyrannicē dominantem in oppido *Altdorf* curasse petasum collocandum et praescripsisse, ut idem salutaretur ab omnibus praetereuntibus. *Vilelmum Tell* cum recusasset, ne petasum salutaret, coactum esse, ut sagittā arcuballistae mālum deiceret capiti filioli sui impositum. Qui iactus māli illustrissimus celebratur in mytho Helvetiae condendae populari et a *Friderico Schiller* poetā in dramate, quod inscribitur „*Vilelmus Tell*“.

# DE PETASO GESSLERI MERKELIANO



Merkels Gessler-Hut  
= Corona-Maske



Diese Gesichtsmaske schützt weder vor politischen Lügen noch Krankheiten. Sie ist Instrument zur Erzeugung von Panik, zur Demontage von Rechten und Freiheiten, zur Durchsetzung von Zwangsimpfung und Bewegungskontrolle aller Bürger.

Ein Schnupfen, der zur Pandemie erklärt wird genügt, der Welt für den Ausnahmestand und die Schlafbürger verzichten widerstandslos auf ihr Leben.

<https://www.sabinehinz.de/p/kent-depesche-regelmaessig-lesen>

## PETASUS GESSLERI MERKELIANA – MASCA CORONARIA

Haec masca facialis neque protegit contra mendacia politica neque contra morbos. Eadem est instrumentum, quo efficiatur terror Panicus, tollantur iura et libertates, ad effectum adducantur vaccinatio coacticia necnon custodiantur omnium civium motiones.

Levem tantum perfrictiunculam, quae declaratur esse »pandemia«, Abderitae somniculosi iam satis habent, ut comprobent statum exceptionalem nulloque modo resistentes abstineant a vita vivenda.

<https://reitschuster.de/post/die-maske-als-gesslerhut/>

# EN MASCAM CORONARIAM ESSE PETASUM GESSLERIANUM!



**Conventus Germaniae foederalis**

## Num masca est petasus Gesslerianus? Casus mirus in Conventu Foederali factus

d. [21. m.Nov, a.2020](#) publicatum. *Scripsit Boris Reitschuster, Latinê redditit Leo Latinus*

De mascâ coronariâ licet alii aliter sentiant. Ut accuratius dicam: In verâ democratiâ fieri posset, ut de remediis, quale est officium mascae gerendae, in utramque partem disputetur. Quod apud nos fieri non potest nisi ratione valdâ limitatâ. At semper oportet, ut in omni praescripto servetur proportionalitas. In Conventu Foederali delegatus neque debet mascam gerere ad ambonem neque in sede suâ. Officium mascam gerendi non valet nisi ad pauca metra, per quae ei eundum est inter sedem et ambonem, aut oecum plenarium intrans aut relinquens et extra eundem.

At *Claudia Roth(ia)* Prasina vicepraesidentissa Conventū Foederalis videtur inter orationem *Thomae Seitz(ii)* delegati factionis Alternativae certior facta esse eius mascam nihil esse nisi pannum perforatum. Quomodocumque eandem oculis aquilinis non instructam hoc praeterierat eo tempore, quo *Seitzius* ambonem adierat et ante eundem se collocaverat. Tamen Claudia hoc animadvertisit Thomā ambonem relinquente. Cum *Seitzius* orationem habens staret dorso Rothiae adverso neque mascam gereret ita, ut appareret, clarē consequitur aliquem speciali attentione et servilitate praeditum eo eximiē meritum esse de valetudine populi vel potius vicariorum populi, quod delegatum Alternativum denuntiaret.

Quidcumque sentias de actione *Seitzii*: eo quod gessit mascam perforatam, clarē violavit officium mascae in Conventu Foederali gerendae. At violavitne – si verbum de verbo legimus - etiam eius praeceptum? Nam in eodem generaliter tantum dicitur de “*tegimento oris et nasi*”. Nihil autem dicitur de huius tegimenti qualitate. Necnon praceptorum obscuritate delinquens manet impunis. Si administratores nesciunt normas litteris mandare clarē intellegibiles, oportet accipient consequentias. Praeterea membra parlamenti provocare iam prius semper consuescebant. Quis non meminerit verborum illius *Joschkae Fischer*: “Domine Praeses, liceat hoc dicere, tu es culus!“<sup>1</sup>. Nolim disputare, num Claudia Roth aptius fecisset, si provocationem Seitzianam praetermisisset.

### **Praesidentissam sibi ipsam nocuisse**

Praesidentissa officio fungens, ipsa mascam non gerens, quamquam distantiam praescriptam vix potuit servare, coegit delegatum, ut indueret tutamentum orinasale normis respondens – eique tale tradidit gestu manūs gratioso: „*Te admoneo, ut geras hanc mascam!*“ Delegati applauserunt. At hōc modo mulier politica Prasinorum ipsa prodidit se parum bene novisse praescripta hygienica ad mascas pertinentia. Nam reverā nemini licet mascam induere, quam antea aliis tetigit, eo minus manibus illotis (neque Domina Rothia in promptu habet aquamanile in ambone). Praeterea eadem mulier ad mascam ex involucro eximendam usa est stilo iam adhibito – quod est respectu hygienico etiam calamitosum. Necnon Claudia mascam

---

<sup>1</sup> originaliter: „*Herr Präsident, mit Verlaub, Sie sind ein Arschloch*“.

eximens vehementer violavit praeceptum distantiae minimae ad scriptricem – nota bene: sine mascâ.

Quod Prasini, qui prius credebant consuetudines et conventiones frangere sibi esse maximê proprium, hodie se gerunt, quasi ipsi sint illi homines reincarnati, qui olim sibi fuerunt adversarii exosissimi: abderitae obsoleta laudantes – hoc aliquatenus est tragicomicum. Prius enim Prasini solebant sequi sententiolam: „*Utrum sit legale an illegale, flocci faciamus*“<sup>1</sup>. Hodie multi Prasini se gerunt, quasi sint vigiles publici auxiliares indole suâ iam destinati – applaudentes astyphylacibus aquam iactantibus in manifestatores, qui postulant res Prasinis ingratas. Claudia Rothia de casu Seitzii mascario indignata est his verbis: „*En istam fabulam theoreticam, quae hic agitur!*“<sup>2</sup> Ita est, rectê vituperavit Seitzii dicta facta. At Claudiæ vituperatio haud minus quadrat ad eam ipsam. Necnon ea ipsa Thomae occasionem dedit fabulam, quam dixit theoreticam, agendi.

Mihi autem hanc scaenam videnti primum in mentem vénit **petasus ille Gesslerianus**. Licet nunc modum excedam. At haec mihi erat prima cogitationum associatio eandemque mutare non possum. Fabula fert *Hermannum Gesslerum* praefectum iussisse *Altdorfiae* petasum collocare, qui salutandus esset ab omnibus praetereuntibus. *Vilelmus Tell* dicitur recusasse, ne exsequeretur hunc gestum se subiciendi. Itaque idem coactus esse, ut sagittâ arcuballistae deiceret mâlum filio suo positum. Saltim feliciter accidit, ut desint hodie tales deiectiones mâlorum.



<sup>1</sup> orig.: „Legal – illegal – scheißegal!“

<sup>2</sup> orig. „Ein Theater was hier abgeht!“

<https://www.zdf.de/nachrichten/video/bundestag-afd-maske-loecher-seitz-roth-100.html>

## **COLLOQUIUM CLAUDIAE ET THOMAE MASCARIUM**

**CR** = CLAUDIA ROTH = vicepraesidentissa Conventū Germaniae Foederalis, membrum Factionis Prasinorum. - **TS** = THOMAS SEITZ = delegatus Conventus Foederalis, membrum Alternativae Factionis Germaniae (AfD).

**CR:** Domine Seitz, exspecta quaeso, quia non habes mascam, sed nihil nisi pannum perforatum! Te admoneo, ut nunc geras hanc mascam. (*Applausus delegatorum, exceptis Alternativis*). Habes pannum perforatum, iste non est masca.

**TS:** Haec est masca oralis...

**CR:** Ista res non est masca! Te admoneo, ut geras hanc mascam!

**TS:** Verumne tibi est masca involucro sterili involuta? Si ita est, libenter eam a te accipiam! --- At istam nunc modo contaminasti!

**Assessor Claudiae:** Haec erat involucro sterili involuta!

**CR:** Haec erat involucro sterili involuta! --- Bene, tu nunc fac sistas hīc, ego mascam accipiam in mensâ... En istam fabulam theticam, quae hīc agitur! Non patior. Nunc sumo hunc stilum, ne mascam tangam.

**Assessor:** Licet ille ipse mascam sibi sumat...

**CR:** Non, stilo usa ei dabo... Et nunc in due eam, quaeso...

**TS:** Multas gratias ago! – (*novam mascam induit*). En factumst. Istā fiscellā indutā nunc permittes, ut ambonem relinquam, nonne?

**CR:** Haec non est fiscella, sed est masca. At si ita loqui perrexeris, accipies obiurgationem!

**TS:** Mihi interdixeras, ne abirem. Itaque rogavi.




# **CHRONOGRAMMA**

## **PATRIS HERBERTI DOUTEIL**

## **BRASILIANI**

Zum 24. März, dem Fest des heiligen Óscar Arnulf Romero:



**Óscar Arnulf Romero**

2021\* arChIepIsCopVs OsCar ArnVLfVs roMero XLI annIs ante testIs VeraX prope aLtare eCClesIae sVae In Vrbe StI SaLVatorIs a sICarIo neCatVs est. – Der Erzbischof Oscar Arnulf Romero ist vor 41 Jahren als Märtyrer, der die Wahrheit verkündete, am Altar seiner Kirche in der Stadt San Salvador von einem Meuchelmörder ermordet worden. – Dom Óscar Arnulf Romero Galdámez, 15.8.1917 – 24.3.1980 – Erzbischof von San Salvador, wurde von Sandinisten während der Messe am 24.03.1980 von Sandinisten ermordet, am 14.10.2018 von Papst Franziskus kanonisiert.

# **CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM**

**Gruß aus Westfalens Metropole! HD**

Zum 25. März 2021

VTA RANKE–HEINEMANN FORTIS  
 INTEGRA THEOLOGA CRITICA  
 CELEBRIS & REIECTA HODIE  
 OBIVIT NONAGINTA TRES ANNOS  
 NATA

Uta Ranke–Heinemann, mutige, unbestechliche kritische Theologin, gefeiert und abgelehnt, ist heute im Alter von 93 Jahren verstorben.

*hdf*

**Gruß aus Münster-Pluggendorf!**

Zum 27. März 2021

HEINRICH MANN PERGRAVIS  
 AVCTOR CRITICVS PVGNAX  
 IDEOQVE NON VBIQVE AGNITVS  
 TRIGINTA LVSTRIS ANTE NATVS

Heinrich Mann, sehr wichtig als Autor, kritisch, kämpferisch und daher nicht überall anerkannt, wurde vor 150 Jahren geboren.

*hdf*

# DE MERKELIANĀ



## EXCUSATIUNCULĀ HYPOCRITICĀ ET MENDACIIS SUPERADDITIS

*Scripsit ANALYSTES, Latinē reddidit LEO LATINUS.* |  
*Iohannes-Georgius Maaßen*, praeses quondam Officii Foederalis Constitutionis Protegenda, postquam Merkelia cum diurnariis colloquens „quietem paschalem“ esse sublatam declaravit et rogavit, ut sibi ignosceretur populi inquietatio, friguttivit haec quae sequuntur:

„Haec excusatio mihi videtur esse merē strategematica, non habenda pro verā“.<sup>1</sup>

Maaßenium rem acu tetigisse appareat ex verbis, quae Merkelia coram diurnariis fecit postea. Quae simul hanc occasionem capit, ut fabulam coronariam<sup>2</sup> confirmet et populo iniciat timorem terroremque.

---

<sup>1</sup> originaliter: „Aus meiner Sicht eine rein taktisch motivierte Entschuldigung, die nicht ernst zu nehmen ist“.


<sup>2</sup> fábula corónaria i.e. originaliter: “das Corona-Narrativ”.

## Merkelia:

*„Gratias iterum ago omnibus, qui eo quod rectē se gerunt, conferant ad undam tertiam, cui inest allagma<sup>1</sup> vīri coronarii etiam magis mortiferum, sistendam atque refrenandam.“*

(Vide scopocinema circa minutam 2:45).

Ad hoc dicendum est, quamquam cancellaria eiusque vasalli labore vehementissimo student statisticam redigere ad valores exoptatos, tamen numerum casuum mortis, qui facti sunt „aut vīro coronae efficiente aut comitante“ ex anno ineunte continuo deminutum esse. Quonam modo, dicas nobis, quaeso, hoc novum allagma est “etiam magis mortiferum”?



E statisticā apparet numerum casuum mortis ex anno ineunte «aut vīro coronae efficiente aut comitante» factorum esse deminutum. Ergo non verum est loqui de “allagmate etiam magis mortifero”.

## Fabula systematis valetudinis nimis occupati

Etiam id, quod cancellaria dicit de systemate valetudinis, a veritate remotum est.

<sup>1</sup> \***allagma**, -atis n. orig. *Mutante*.

*„Usque id tempus omnibus remedii pergemus omni modo id curare, ut sistema nostrum valetudinis sustineat onus immensum.” (scopocinema, ad minutam 3:45).*

Quandonam sistema nostrum valetudinis propter pandemiam coronae putativam umquam expositum erat oneri immenso? Num anno 2020, quo adversus „coronam“ clausa sunt viginti nosocomia?


Veritas etiam revelatur verbis cuiusdam medicae domesticae, quae in manifestatione anti-coronariâ d.Saturni, 20. m.Martii a.2021 Casseliae a *Boris Reitschuster* interrogata dixit haec:

*„Bene recordor influentiam hiemis annorum 2016 et 2017, quâ mortui sunt 25.000 homines et incredibiliter multi aegrotaverunt. Illo tempore nos paene laborando mortui sumus. Omnes medici, in omnibus praxibus. Duxi utinam talis numquam iteraretur. Illo tempore nihil ferê feci nisi laboravi et dormivi. At nunc (hac hieme) exspectando fatigati sumus, sed nullus patiens vénit, quia nemo aegrotus fuit. Nec vidimus montes cadaverum. Neque ullus meorum patientium est mortuus, ne unus quidem, etiam nullus patientium vetustiorum, sed nunc habeo primum hominem vaccinatione mortuum.“*

Itaque cancellaria excusatiunculâ abusa est vehiculo timoris civibus iniciendi et inculcandi. Scilicet Angelam talem occasiunculam attentionis publicae non praetermisisse.

## **Excusatiuncula**

Eo autem quod cancellaria rogavit, ut excusaretur, nihil fecit nisi novam nobis praebuit potiunculam ex Merkeliano venenorum armario politico sumptam, quam secum attulit ex Germaniae Democraticâ Re Publicâ (DDR). Hic flosculus verborum inanis ab eâdem adhibitus est, quia „quies paschalis“ propter obstacula iuridica erat tollenda. Satis deplorabile est circulo pandemico, quem Merkelia duxit, non infuisse homines tam peritos, qui ea obstacula intellegent iam antea.




E statisticâ apparet ipsâ in undae coronariae summitate, quae fuit anno 2020 exeunte, ratione calculi in omni nosocomio non plures patientes fuisse quam sex. Hôc tempore in omni nosocomio ratione calculi sunt 1,6 (unus – virgula – sex) tantum patientes.

Quacumque ratione remedia coronae coacticia causâ politicâ sunt excogitata nulloque modo spectant ad necessitates medicinales. Si auctor huius symbolae rogaretur ut praediceret, quando remedia coacticia finirentur, responderet eadem non finitum iri ante annum 2025. Nam verisimile est usque ad illum annum *Magnam Reinitiationem* („Great Reset“) exultiorem fore, quam ut sit irreversibilis.



**MARCUS PHILARCHUS FRANCO**  
**REX CORONARIUS:**  
**SI VACCINUM ASTRAZENECA NUM NON**  
**PERMITTATUR, PRAEBENDUM ESSE**  
**CUM ALEĀ HOMINIS VACCINANDI PROPRIĀ**

d.18. m.Mart. a.2021 – h.15:53



**MARCUS PHILARCHUS FRANCO**  
**BAVARIAE POTENS, CUPIDUS GERMANIAE**

Marcus Philarchus rex Bavariae etiam sine permissione anticonorarii vaccini Astrazenecani officiali non vult desistere ab usu eiusdem. Die Iovis post conferentiam terrarum foederalium digitalem tyrannus: "Equidem" inquit „astrazenecanum etiam non abicerem, nisi officialiter permitteretur".

**Berolino/Monaco ex urbibus** – Marcus Philarchus Franco rex Bavariae etiam sine permissione anticoronarii vaccini astrazenecani non vult desistere ab hōc vaccino adhibendo. Die Iovis post conferentiam terrarum foederalium digitalem Maiestas: "Equidem" inquit „vaccinum astrazenecanum etiam non abicerem, nisi officialiter permitteretur". Etiam sine permissione Agenturae medicamentorum Europaea (EMA) probandum esse, num vaccinationes fieri possent "cum aleā propriā".

Philarchus tyrannus verbis extulit se valdē sollicitari, num vaccinum astrazenecanum etiam casu permissionis novae adhuc exoptaretur. Iam ante usūs intermissionem hoc vaccinum in dubium vocatum esse. Si Agentura Medicamentorum Europaea hoc vaccinum iterum permisisset, se omni casu commendaturum esse flexibilitatem quam maximam. Auxilio medicorum domesticorum hoc vaccinum celeriter et cum necessariā consultatione individuali et curā posteriore exhiberi posse.



# **CAROLA CALLIODON**

## **CASSANDRA CORONARIA**

## **HARIOLARI NON DESINIT**



### **CAROLA CALLIODON**

(1) Mihi persuasum est EMA (Agenturam Medicamentorum Europaeam) recte decrevisse, ut vaccinum Astrazenecanum adhibeatur. Thromboes generales hōc vaccino adhibito non sunt frequentiores quam hōc vaccino omisso. Thromboes cerebri speciales, SVT cum haemolysi, sunt admodum rarae. Etiamsi effectae sunt vaccino astrazenecano adhibito, rariores sunt quam ut propter easdem vaccinum non permittatur.

(2) Itaque sufficit adnotatio monitoria. Propter tertiam undam fulminantem oportet hoc vaccinum in Germaniā quam celerrimē denuo adhibeatur. Itaque continget, ut fides oriatur adhibentium.

(3) Puto quidem postea cognitum iri causalitatem, sed omni casu huius vaccini utilitas vehementer superabit detimenta. Multum iuvat aliqua symptomata, quae apparere possunt, explicare. Ipsi seniores plurimum utilitatis accipiunt e vaccino astrazenecano, nam eorum alea morbi covidiani est magna. Itaque eorum vaccinatio plurimum respicienda est.

Ut numeri covidiani refrenentur

# **Germaniae imminere tertiam undam fulminantissimam:**

**Ut serventur normae coronariae, vaccinationes, probae scholares ut fiant priores – haec nunc postulat Carola Calliodon**

Refert Leo Latinus

En adesse tertiam undam coronariam: Carola Calliodon Cassandra coronaria complura proponit remedia statim in Germaniâ adhibenda quarantenâ generali inclusâ. Ecce summarium.

**Berolino ex urbe** – In pandemiâ coronariâ Germaniae imminere „adhuc multas septimanas duras“. De hac re die Veneris (18. m.Mart.) in conferentiâ diurnariorum foederali inter se consenserunt *Iasmina Pandemica* ministra valetudinis foederalis (democratrica christiana) et *Institutum Roberti Koch* et *Carola Calliodon* socialistarum Cassandra coronaria.

**Pandemiam coronariam saevire in Germaniâ: Carola Calliodon postulat, ut statim revertamur in quarantenam durissimam.**

Calliodon locuta est de “undâ tertîâ fulminanti“, in quâ res publica foederalis Germaniae iam versaretur. In stationibus intensivis aetatem patientium coronae mediam interim iam esse annorum ferê sexaginta.

Nunc omnibus remediis id esse curandum, ut numeri covidiani insigniter deminuerentur, ut numerus reproductionis (i.e. valor  $r$ ) reduceretur et allagmata coronaria saltim aliquatenus cohiberentur.

Itaque Carola Calliodon flagitat flagrantissimê nonnulla remedia statim adhibenda – quae sunt haec quae sequuntur:

**Tertiam undam in Germaniâ saevire – Carola Calliodon proponit haec remedia anticoronaria quae sequuntur:**

- **Statim instruendam esse generalem quarantenam durissimam: Calliodon:** „*Necessarium est*“ inquit „*ut*

*revertamur in quarantenam generalem*“. Ratione epidemiologicâ nullam esse causam, quâ quarantena sit dimittenda. Quo celerius et quo melius agatur, eo brevior erit quarantena generalis“.

- **Homines vaccinandos esse contra morbum coronarium:** Vaccinationes primas oportere priores fieri quam vaccinationes refocillandas. **Si necesse sit, maximum esse adhibendum spatium duabus vaccinationibus intermissum, quod complectatur sex septimanas.** Calliodon: „*Oportet nunc faciamus vaccinationes primas quam plurimas.*“ Se cognovisse iam post primam vaccinationem anticoronariam valere efficaciam 80% (octogenarum partium centesimarum). Calliodon: „*Commendo, ne quid vaccini relinquatur.*“
- **In Germaniâ permittendum esse vaccinum russicum, cui nomen est „Sputnik V“:** Calliodon commendans, ut, si necesse sit, probandi phasis tertia quae dicatur, celerius agatur: „*Hoc vaccinum*“ inquit “*est bonum et celeriter potest fabricari. Oportet probemus, num liceat idem necessitatis causa statim permittere*“. Se multum confidere de hoc vaccino: „*Equidem hoc vaccinum russicum haud aliter tractarem quam omne aliud et commendo, ut comparetur*“.
- **Ordo vaccinandi in Germaniâ servandus:** Calliodon: „*Oportet*“ inquit, “*ne mutemus ordinem vaccinandi. Periculum morbo covidiano moriendi homini octogenario sescenties maius est quam iuniori*”. Ergo Cassandra coronaria suadet, ut vaccinentur quam maturrimê ii participes gregis summae aleae coronariae, qui habeant aetatem magnam et maiorem.
- **Probae coronariae – scholae quam plurimum respiciendae sunt:** „*Oportet has probas ibi quam frequentissimê adhibeamus, ibidem enim maximam efficiunt differentiam.*“ Nuperrimê enim saepissimê relatum esse numerum parvolorum infectorum insigniter exauctum esse. Secundum Carolam Calliodonta probas coronarias, quae iam praesto sint, prius quam aliis traditum iri scholis, ut adhibeant quam maturrimê.



**ECCE CAROLA CALLIODON<sup>1</sup>**

**CASSANDRA CORONARIA  
MASCÂ INDUTÂ  
DE TERTIÂ UNDÂ  
NOVISSIMISQUE  
VÎRI COVIDIANI  
MUTATIONIBUS  
NECNON DE ATROCITATE  
MORBI CORONAE PERPETUI  
FUNESTA HARIOLANS  
TOTI GERMANIAE  
TERROREM INJECTARE  
NON DESINIT.**




---

<sup>1</sup> Carola Calliodon supernomina vulgaria habet, quae sunt „Karla Klabauterbach“ et „die Zahnfee“.



## **GUNNAR KAISER**

poeta et philosophus necnon  
magister scholaris

[\*\*https://www.youtube.com/watch?v=32GqSD2O5qI\*\*](https://www.youtube.com/watch?v=32GqSD2O5qI)

### **EGO MIROR VOS NON MIRARI**

GUNNAR KAISER poeta et philosophus necnon magister scholaris  
vituperat, quod discipuli a magistris examinantur  
probatiunculâ coronariâ  
**parum fideliter,**  
**parum humaniter!**

[\*\*https://www.youtube.com/watch?v=5XGEMcISXek\*\*](https://www.youtube.com/watch?v=5XGEMcISXek)

**Magistri huius mundi respicite  
hanc probatiunculam coronariam!**

[\*\*http://www.pi-news.net/2021/03/gymnasium-altdorf-28-von-29-  
schnelltests-falsch-positiv/\*\*](http://www.pi-news.net/2021/03/gymnasium-altdorf-28-von-29-schnelltests-falsch-positiv/)

**In gymnasio Altdorfiensi**

**ex 29 probatiunculis coronariis  
evaserunt 28 falso positivê!**

# ECHUS VOCES EPISTULAE

----- Message transféré -----

**Sujet :** Leserbrief an Epistula Leonina.docx  
**Date :** Fri, 26 Mar 2021 19:56:11 +0100  
**De :** Dreier <[j-dreier@gmx.de](mailto:j-dreier@gmx.de)>  
**Répondre à :** [j-dreier@gmx.de](mailto:j-dreier@gmx.de)  
**Pour :** [domus@alcuinus.net](mailto:domus@alcuinus.net)

Redactoribus epistularum Leoninarum salutem!

Tribus proximis annis epistulas vestras in interrete inveni.

Ex eo tempore magno lucro et maiore voluptate eas epistulas lego, ut novas editiones sequentes impatienter exspectem.

Sane ab hoc anno ineunte perturbor, quod ardore vehementi et magna perseverantia in **causa Coronae** viri occupati estis; plerumque eius pericula parvi momenti esse et vaccinationem recusandam esse censem.\*

Cuique libenter ius suam opinionem propagandi concedo. Sed cupiditas semper eandem opinionem repetendi non modo vobis indigna esse videtur, quin etiam periculosa. Cur rei publicae nostrae gubernantibus malas intentiones suppositis et contra libertatem vestram praetenditis? imminet? Nonne statum antidemocraticum creatis, quem vitare vultis?

Quid praefertis: Homines politicos, qui res novas disputent et discere parati sunt, an qui opinionem rebus mutatis rigide tenent, pereat mundus? Spero fidem civium erga facultates in re publica versantium non eversum iri.

Vobis notum sit: Asinus in commoditate vivens primus glaciem intrat.

Valete ! *Jochen Dreier*

\* Ultimae tres epistulae duodecim commentationes de eadem re continent !!

**LEO LATINUS IOACHIMO (Jochen) DREIER  
LECTORI MAXIME HONORABILI SAL.PL.DIC.**

*Care Ioachime,*

gratias plurimas tibi agimus, quod nos epistulâ scribendâ dignatus es. Semper gaudemus de epistulis lectorum Latinê scriptis, quia id maximê curamus, ut Latinitatem vivam colamus augeamus refocillemus.

Plurimum gaudemus, quod nobis affirmas te his tribus annis proximis Epistulas nostras Leoninas perlegisse magno lucro et maiore voluptate, immo novas editiones sequentes impatienter exspectavisse. Quid gratius, quid iucundius esse potest Leoni legenti opuscula sua perlegi cum lucro et voluptate necnon cum exspectatione impatienti?

Cum plurimum tibi congaudeamus Epistulis Leoninis fruenti, eo magis condoleamus lamentanti de opusculis a nobis ex hōc anno ineunte creatis, quae scribis tibi prorsus displicere.

Vehementer vituperas, quod iam duodecim commentationes scripserimus de morbo coronario semper eandem opinionem repetentes. Bone Ioachime, quare hoc nobis vitio vertis, quod ex integro ferē anno ferē omnes diurnarii ubique terrarum faciunt cottidie – qui referunt de rebus coronariis? De quā opinione loqueris a nobis nimium repetitā? Quidni? Nonne res digna est, quae tractetur, quā homines magnae partis huius mundi incident in servitutem et miserrimam paupertatem?

Si crederemus *Nicolao Schwab*, pro certo haberemus calamitatem coronariam nobis omnibus fore salutarem, nam (exceptis nonnullis multimiliardariis) omnibus hominibus ad eandem ferē paupertatem redactis factum iri Magnam Reinitiationem (*Great Reset*) mirumque institutum iri quoddam genus novum communismi, quo omnes homines fiant beatissimi. Quod difficile est creditu nobis recordantibus omnes illos, qui caelum fore in terris promisissent, potius effecisse gehennam. E contrario *Rogerius Köppel* (v. supra) apertē de remediis anticoronariis haec dicit: »*Meā quidem sententiā ista, quae politici morbi coronarii causā effecerunt, sunt scelestā necnon, si rationem respicis commodi et damni, stultitissima et periculosissima omnium, quae in historiā generis humani umquam sunt facta*«.

Uter horum rectē iudicat? *Nemo scit quid serus vesper vehat.* Sed diurnario de rebus factis referenti plurimum semper oportet valeat eundem non ea tantum referre, quae sibi placeant secundum ideologiam sive imaginem mundi suam sibi gratam, sed ea, quae esse observat et quae in fontibus quam plurimis ritē perpensis invenit.

Quod attinet ad vírus coronae, plerisque in actis diurnis, periodicis, emissionibus radiotelevisificis semper accipies eandem ferē opinionem, quam declarant pauci scientiae aut potius pseudoscientiae gubernationi obnoxii quamque veris scientistis non auditis publicē probatam gubernatio et diurnarii repetunt tamquam veritatem sacrosanctam praedicantes – nonne hoc mirum tibi videtur? E contrario apud nos invenies non sōlum istam sententiam nobis cottidie inculcatam, sed etiam sententiam illi contrariam! Quae rarissimē invenitur in actis diurnis, saepius in sermonibus hominum. Nam opinio publicata non est aequalis opinioni publicae.

Nos semper magni aestimamus proverbium illud Romanorum iuridicum, quod est: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!** Ut exemplum tibi afferam: In Epistulā Leoninā 222 rettulimus de thesi *Gerhardi Boscii Belgae vaccinologi*, qui organisationem valetudinis mundanam (*WHO*) urgentissimē monet, ut desinat vaccinare, ne oriantur allagmata (*Mutanten*) víri covidiani resistantia, quibus destruatur sistema immunitatis naturale. Qui investigator minimē est theoreticus conspirationis, sed ipse vaccinologus multorum vaccinorum fabricator. Nos de eius thesi rettulimus – quam in aliis periodicis vix invenies. Necnon publicavimus antithesin *Doctoris Gaii Licoppe*. Non audemus diiudicare, uter horum virorum doctorum rectē sentiat: sed afferimus utramque sententiam. Lector ipse diiudicet, quam thesin p̄aeferat!

Talis est status verē democraticus, minimē antidemocraticus, ut tu putas. Minimē nos gubernantibus supponimus malas intentiones, sed iudicamus de iisdem secundum sententiam notissimam: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Politici qui per integrum ferē annum remediis, qualia dicant anticoronaria, plura destruant pluresque homines ad summam miseriam et paupertatem, immo ad mortem voluntariam redigant, quam morbo illo viralí umquam ullo modo affici potuissent – quidnam iisdem gubernatoribus supponamus? Non oportet iisdem aliquid supponere, sed eosdem in ius vocare. Omnino non intellego, quid tu sentias verbis quae sunt: “*Nonne statum antidemocraticum*

*creatis, quem creare vultis?*" Nequaquam creamus talē statum, sed animadvertisimus istum statum ex anno iam valere. Iura fundamentalia, ius sententiam liberē dicendi valdē vehementerque esse deminuta. Quonam modo tu eum, qui demonstrat magnum esse quoddam malum, dicas ipsum esse istius mali effectorem? Visne victimam facere effectorem? Nonne hoc absurdum est?

Denique, care Ioachime, restat, ut tibi affirmem, si quam habeas symbolam in Epistulis Leoninis publicandam, semper libentissimē nos eandem accepturos esse. *Si quae thesis a nobis publicata tibi displicuerit, scribe antithesin!* Pro certo habeas nos semper tibi concessuros esse ius sententiae tuae liberē publicandae et defendendae. *Audiatur et altera pars!* Et minimē recusamus, ne interdum geramus personam Catonis, secundum verba Lucani quae sunt: *Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.* Si quam rem tractaveris, ne umquam obliviscaris eandem esse in utramque partem disputandam. Ceterum, Ioachime benevole, tibi commendamus verba prophetae Eliae; *butyrum et mel comedet, ut scias reprobare malum et eligere bonum.*

De rerum in Epistulis Leoninis tractandarum varietate ne solliciteris: si ducentas viginti duas illas Epistulas Leoninas iam a nobis publicatas diligenter perlustraveris, cognosces *Leonem semper plurimum delectari rerum huius mundi varietate et multiplicitate et subtilitate.*

Haec hactenus. Responsum tuum, proposita et commendata tua exspectamus animis attentissimis. Cura ut valeas et fruere plurimā lectione Latinissimā. Pancraticē vale.

Medullitus te salutat



LEO LATINUS.

## CORIGENDA ET SUPPLENDIA

**EL 232, p.20, lin.4 et nota 1):** class action – **actio collectiva** (*non: accusatio collecticia*)

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90


28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !



HANC EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM TRICESIMAM TERTIAM**  
**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



TYRANNUS CORONARIUS



CASSANDRA CORONARIA



VILELMUS TELL  
 HEROS HELVETIAE  
 MASCAM RESPUENS  
 TAMQUAM  
 PETASUM GESSLERIANUM

**Die Dominicâ, 28. m.Mart. a.2021**

**Dr. Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae